



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap XV. Cur unica lethalis noxa supplicio afficiatur æterno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

De damnatorum rogo Caput XV:

187

interest gehenna? O potulente & ebriose quam inique tuos calices ambrosia & nectari præponis? Heu quantæ infania est, beatæ æternitatis proposita, ob unius prope momenti gaudium, æternum illa excidere velle? Voluptas & Vindicta, Ebrietas & Crapula, omniâque vitia momento delectant, tormenta illis debita æternum cruciant.

Quid jam miramur, quod Deus improbos æternum puniat, cum etiam probos æternum remuneretur. Deinde, quod jam sæpius dictum, qui peccat ob volaticam volapratulam, seipsum diabolo vendit, quid miri, si emptor jus acquirat perpetuum? Sic apertissime Achab regi Elias: *Inveni, ait, te inimicum mihi, eo quod vendideris* *3. Reg. 21. vers. 20.* *fit, ut sceleris malum in conspectu Domini.* Insuper & illud ex se notum, ab eo qui culpæ commissæ jungit contumaciam, augeri & penam. Quando igitur qui apud inferos torquentur, peccatis jam commissis addunt contumaciam (nihil enim penitentia vel emendationis in Orco) simul etiam augent injuriam.

Ergo intelligite hæc qui obliviscimini Deum: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Ille ipse iudicabit qui læsus est. Ab hoc ad alium provocatio erit vana, defensio frivola, excusatio stulta, favores inutiles, preces steriles, patrocinium serum, detrectatio nulla. Nam Judex inadulabilis & incorruptus, sententia suprema & irrevocabilis, decretum æternum, æternum est supplicium.

CAPUT XV.

Cur unica letalis noxa supplicio afficiatur æterno?

Nemo miratur narrantem, unicæ scintillæ neglectu civitatem bene magnam incendio hausitam. Vulcani vires novimus, & ingluviem horrendam: robustissimas & voracissimas est; dum pabulum habet, vorare non desinit, & vorando crescit. Omnia glutit, domos, & urbes, & regna sorbet. Non amicos novit, non hostes. Omnia diruit, nusquam sistit, absument omnia. Arserunt urbes, arsurum & Orbem ipsum credimus. Quas fauces, quem esse ventrem dicam, cui tam grande pabulum obijcitur, nec famem sedat. Non itaque miramur scintillâ urbes integras deflagasse; miramur incendium non citius extinctum fuisse.

Eundem pæne in modum, Vitam momentum esse affirmant, non adversamur, utique vita æternitati comparata vix momentum appellabitur. Quod si dicatur, ab hoc momento æternitatem pendere, nec hoc miramur, scimus namque æternum præmium comparari non labore æterno. Nam si labor æternus foret, merces non foret æterna. Neque verò etiam miramur asseri, hoc vite momento posse gaudium obtineri æternum. Hoc enim non nostris, sed Christi promeritis tribuimus.

Sed quod miramur, hoc est, brevissimo sæpe tempore, unico imò momento, imò cogitatione unicâ supplicium æternum commereri. Actiones cum virtute conjunctæ præmium adipiscuntur æternum, ob Christi Domini promerita, quæ infiniti sunt prærii: at verò quâ ratione delicta nostra infinita sint nequitia, adeoque infinitum iis supplicium debeatur, id nostram intelligentiam excedit; non assequimur hoc Theologiæ æternum. Quid igitur fœdæ voluptatis horula, aut pars horula, vel ut Tertullianus loquitur, vaporata libidinum momenta, quid habent oblecto delitescens malitia, quæ omni æternitate satis expiari nequeat, quæ sempiternis ignibus castiganda? Miramur, non capimus.

Huic quaestioni nonnulli responsum est in superioribus. Sed quia res magni momenti, & caput difficilis, eam explicari jam trademus, explicaturi, Cur brevissimi temporis noxa supplicii æterni vindicetur. Ita

A hic æternitatis luctuosissima causam efficientem prosequemur.

§. I.

In sacris Christianis arcana quædam sunt, quæ nemo satis intelligentiâ & ratione comprehendit, horum quinque potissimum numeramus.

Mysterium sacrosanctæ Triados; Christus hominem Quinque-indutus; Eucharistiæ miraculum; Mortuorum in vitam arcana quæ reditus; æternitatis supplicium. Quia verò hæc creditu difficilia, ideo illa singulariter divina providentia Oraculis, Conciliis, Miraculis confirmavit. Nostrium hic est de suppliciis æternis disserere, & cur ea Deus, cujus natura est misereri, voluerit esse æterna.

Varia sunt Theologorum responsa. Sed, cum venia illorum dixerim, an ad caput rei perveniant, nescio. Sunt qui dicant, nec displicet responsum: Scelerati in locis infernis semper peccant, ideo semper puniuntur. Quid ergo iniqui est in eo non desinere penam, qui perleverat injuriam.

Non displicet responso. Imò non solum apud inferos æternum peccant damnati, sed etiam apud nos, dum viverent, aliquam peccandi æternitatem invenerunt. Perpendamus hoc obsecro mature.

Quisquis ad usque mortem noxas iterat, in suo (sic dicam) æterno peccat, ideo in æterno Dei iustissime punitur. Tam verè quam eleganter Gregorius: *Constat* *namque, inquit, & verum est, nec inter beatos finem gaudiorum, nec inter damnatos finem esse tormentorum.* Veritatis decretum est: *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Quia enim, verum est quod promissum sit Christus, falsum procul dubio non erit quod minatus est Christus. Sed dixeris: Scire velim, quomodo iustum sit, ut culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? Respondet beatissimus Pontifex: *Hoc recte dicemus, si districtus iudex non vorda hominum, sed facta pensaret.* *Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt.* *Nam voluissent utique si potuissent sine fine vivere, ut possent sine fine peccare.* *Ostendunt enim qui in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo iustitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.*

Hic velim, unum aliquid solertissime observari. Est aliqua peccati adhesio seu circumstantia longè pessima; cumstantia Non peccasse tantum, sed cupere amplius peccare. Hæc peccati sit candi cupiditas inferorum supplicii dignissima est. Si quidem Deus non tantum respicit peccata quæ facta sunt, sed & concupiscentiam ac animi ad faciendâ. Exemplo rem monstremus.

Vir ike triginta annorum, sic ponimus, gehennæ addicitur, quia peccare non desit. Si quinquaginta, si sexaginta, aut septuaginta annis vixisset, totidem annis peccasset. Si centum, si mille annis vixisset, non paucioribus peccasset; si ei æterna fuisset vita, æterna fuissent & illius peccata. Quia ergo tanta, & ad peccantis animum æterna est peccandi sitis ac concupiscentia, jure merito æterna erit & peccatorum pena. Ergo, quod Gregorius inculcat; Nunquam careant supplicio, qui in hac vitâ nunquam voluerunt carere peccato.

§. II.

Damnati porro noxas, quas contraxerunt, non eluunt, malitiam, dum viverent, ceptam non exuunt. Neque enim id gratiæ à Deo habent ut respiciant. Istud autem longè horribilissimum est, & plurius Dammati quam infandum. Dammati gratiâ divinâ omni adeo sunt non potest spoliati, ut æternitate totâ nullus eorum dicturus sit: *Miserere mei Deus.* Tantum profectò gratiæ illorum nemo habebit. Quo sanè diabolis sunt simillimi, e quibus nulla vis tormentorum unquam exprimit, vel solas has voculas; *Peccavimus, parce.* Hinc non malè quis dixerit: In inferno

inferno meros metissimos esse diabolos, hoc est, obstinatissimos ac desperatissimos Dei hostes, quales non diaboli tantum, sed & omnes damnati sunt.

Quā in re sceleratus dum in vivis, damnatus dum in tormentis est, æquales sibi sunt, suis viribus neuter ab animi morte revocare se potest. Divino hic opus auxilio. Quod Deus, dum vivimus, numquam denegat, et si millies gratiā excidamus, sed simul tamen monet: Attende tibi, nunc facio delicti gratiam, non tam facturus semper. Præmonco, & pacifcor; dum animus hæret corpori, fores misericordiæ tibi patent; ingredi. Ubi animus à corpore abierit, hæc fores obserantur.

Æquissimè proflus. Nam si damnatus decies millies, si vicies, aut tricies millies ac sæpius petisset veniam, dum vixisset, repullam non tulisset. Post exitum vitæ, non amplius venia, non auxilii, non gratiæ quidquam sperandum.

Hæ pactiones erant, nec mille admonitiones deerant; oblatam gratiam non esse repudiandam, misericordiam, dum liceret, amplectendam. Neutrum factum; gratia effusa, misericordia neglecta, placuit esse miserum; libuit perire. Ergo qui pereunt, suis pereunt voris, suo se gladio jugulant, noluerunt amici esse Numinis, ex pacto nunquam erunt.

Deinde, actiones improbæ bonis adversantur rectissimè. Enimverò his æternum præmium debetur, illis itaque supplicium æternum. Nam (quod in philosophorum scholis tritissimum) contrariorum eadem est ratio. Beatitudinis perfectio est; beatum esse sine fine: Tormentorum in Orco ratio est, sine fine esse miserum. Christus Ecclesiastes è caelo divinissimas conciones suas omnes hoc & nino epilogo clausit: *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Quod Matthæus asserens: *Et factum est, inquit, cum consummasset le-*

Beatitudinis perfectio, & tormentorum ratio quæ. *Matth. c. 25. fine. Idem c. 26. initio.*

§. III.

Et hæc quidem congruentissimè dicuntur. Sed num à capite rem accessimus? Ego hic Augustini sapientissimum pronuntiatum venerabundis brachiis amplector, Vir sanctissimus ita loquitur: *Factus est malo dignus æternus, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum.* Hæc ipsissima supplicii æterni causa est, infinita cuiusque letalis noxæ malitia. Cum enim Bonitas offendatur infinita, offensio infinitam exerit malitiam, quæ summum Bonum tam temerario aggressu violare audeat.

Theologorum princeps Thomas Aquinas: *Peccatum, inquit, nihil aliud est, quam actus humanus malus.* In omni verò letali peccato duplicem assignat malitiam. Prima est, Actus rationi ejusque regulæ dissentaneus. Altera est, injuria Deo irrogata contemptu Dei. Atqui hæc malitia nihil aliud est quam voluntaria à Deo aversio, quæ pœnam meretur infinitam, quando Bonum abjicit infinitum. Certè omnis letalis noxa contemptum Dei præ se fert. Exemplo rem monstramus.

Urbis Italæ lex capitalis est: Nemo gladium, nemo pugionem gestato, Qui legis gnarus datâ operâ nihilominus & gladio & pugione se armat, magistratum aut principem legislatorem spernit: Non aliter edixit Deus: Nemo furetur, Nemo mentiat, Nemo adulteretur &c. At inspectante Deo hic furatur, ille mentitur, iste adulteratur, quidquid lex dicat. Num hoc non est contemnere Deum? Qui Cæsaris edictum violat, in Cæsarem peccat: Quisquis leges divinas spernit, Deum contemnit. E sacris paginis id liquet: *Anna quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo suo depositum.* Sic & Augustinus: *Peccatum est, inquit, spreto incommutabili bono, rebus commutabilibus adherere.*

Levit. cap. 6. vers. 1.

Hinc infinita illa malitia emergit. Nam quo Majestas quæ læditur, major, hoc & offensio gravior est. Virum nobilem lædere, grave est; gravius, dynastam; gravius, Comitum. His tamen multò gravius est læsis Principem; longè gravissimum læsis Regem aut Cæsarem. Sie gradatim itur in humanis. Quam ergo grave sit læsis Deum infinitæ Majestatis dictatorem?

Hinc infinita hæc malitia vel unica letalis noxæ, cogitationis impure vel unice, nullo actionum bonarum cumulo potest redimi. Nam si in unâ divinæ Justitiæ lance, omnia beatissimæ Mariæ Virginis, omniumque divorum ac celitum promerita componantur; in alteram noxæ læsis vel unica conjiciatur, illa omnia hujus unius molem nunquam aquaverint, illa pro hac nunquam satisfecerint. Dicta proflus formidabile est, omnium proborum hominum sanctas actiones, unius letalis culpæ pondere superari. Hoc tamen nemo mirabitur, qui Deum Deique Majestatem immensissimam æstimaverit. Conditor omnium à re condita contempti infandæ temeritatis facinus est. Divini oris pronuntiatum novimus: *Reus erit æterni delicti.*

Malitia unica letalis noxæ nullo actionum bonarum cumulo potest redimi.

Matth. c. 25. vers. 29.

§. IV.

Tanta est igitur tamque infinita noxæ letalis cuiusque malitia, ut nullis virtutum officiis pensari possit, ni eam iudex supremus ultro condonet. Quā in re Deus multò quam liberalissimus, vel uni homini milles iterumque milles culpæ gratiam facit, & impunitatem concedit, eā tamen lege, ne culpam repetat, aut repetitam, penitentia prius expiet, quā in alium Orbem migret. Dissert ille, & debitor obit: æterni delicti reus est, eritque semper.

Ad rem insigniter Augustinus: *Qui pro aliquo grandi crimine, inquit, morte multatur, nunquid mora, quæ occidit, tur, quæ per brevis est, ejus supplicium leges æstimant, & non quod cum in sempiternum auferunt de societate viventium?* Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus: sic nec illius, ut in vitam revocetur æternam secundâ morte damnatus. Si magistratus reo, in perpetuum vitam admittit quam non dedit, non idem Deus jure meritisimo possit?

Quando igitur infinita noxæ letalis malitia pœnam committeretur infinitam, hæc autem non possit per intentionem infigi (ut in scholis loquuntur) per extensionem nem infigitur necesse est, ut scilicet quod non habet tormenti atrocitas, habeat temporis diuturnitas. Dabit iudicio c. 16. ignem & vermes in carnes eorum ut urantur, & fessant usque in sempiternum.

Cum nos hæc talia meditamur, putem sic esse affectos debere, prout sunt qui plurimæ rapacitatis sibi conscii, non sine gemitu supplicium sibi debitum in aliis cernunt. Fit nonnunquam ut vir magni nominis & famæ patibulum transeat, & occultis suspiriis seipsum feriat, hæc apud animum suumvolvendo: En miseri isti ventis inane ludibrium, nobis triste spectaculum, etiam post mortem luunt quæ vivi deliquerunt. Et quæ eorum tanta facinora? Sunt forsitan ex iis, quorum omnia furtiva (quod sæpius compertum) quinque aut sex florenos non excederint. Et tu qui aliquot florenorum millia sensim intervertisti, sanus & incolumis obambulas, tu byssinus ac holosericus incedis, non otiosè salutaris, & ius in miseris dicis, patibulo præ his miseris centies dignior: hi reculas vilissimas compilant, & pendunt, tu fortunam auream crebrius suppalasti, & triumphas. Cave, Dilane ac lento incedunt gressu, sed tarditatem vindictæ gravitate compensant.

Ita proflus cogitandum cuique nostrum cum inferos cogitamus: Heu, quot capitalia commisi crimina, & tamen etiamnum à flammis salvus sum: quā multi, non dubitem, in Orcino barathro ardent, æternum arsur, qui longè pauciores quā ego, & forsitan unicam letalem

De damnatorum rogo Caput XV.

189

letalem noxam contraxerunt. Divini sol favoris etiam mihi splendet, illis qui rariis & levius quam ego deliquerunt, aeterna nox incubat. Cave, tardo tacitoque pede ultio divina inserpit. In arcto istas praecipitio, & non horres? levissimo caedes impulsu; qui diu steteras, momento rues: & quod rues? abyssus & chaos flammam ruentem excipiet. Cave, vel digituli motus te praecipit; unica te febricula, gravedo aut apoplexia, punctiuncula aut glans unica Aeternitati te objicit. Cadis amicus Numinis? excipiunt Angeli. Sin aliter? excipiunt diaboli, excipit aeternus ignis.

Putat sanctus Ignatius multos in inferorum ergastulis cruciari, qui forsitan unico letali nevo se contaminant, sive jam perjurio, sive vindictae desiderio, seu cogitatu obsecro, sive alio loquendi, cogitandi, agendi modo deliquerint.

Cogitandum etiam ferio, damnatos, fuisse homines nobis similes, & multos eorum Christianos, qui sacramentis & concionibus, qui libris sacris & admonitionibus ad optima quaque invitati, forsitan aliquanto tempore vitam integram piamque duxerint, familiares cum Deo: Paulatim remissius ac socordius agendo, in peccatum mortale prolapsi, iusto Dei iudicio aeternis incendiis sint addicti.

O mortales, ponite corda vestra, clamat Aggeus vestres, ponite corda vestra super vias vestras.

S. V.

Sigismundus Imperator, quod Aeneas Sylvius narrat, Theodoricum Coloniensem Pontificem inter principes maximae auctoritatis virum diversa interrogans: Quo pacto, aiebat, ea obtinenda est felicitas, qua quis verè dicatur felix? Cui Theodoricus: Haec, inquit, inter mortales frustra quaeritur. Imperator iterum: Ergo, inquit, ad illam caelestem, quae rectissima ducit via? Huic Praeful: Meo sensu, inquit, nec certior, nec tutior est, quam sincera in rebus agendis omnibus intentio. Et qualis, inquit Imperator in viam hanc ingressus est? Ad quae Theodoricus: Non difficilis, ait, modò tales sumus cum sumus sani, quales nos futuros esse promissimus, cum fuimus egroti. Responsum ad omnia sapienter.

Et verè nulla hinc vera felicitas est, quaerimus illam, non invenimus. Summa hinc rerum inconstantia, nutant & vacillant omnia; sordet voluptas omnis ad beatam aeternitatem collata. Via verò ad delicias caelestes rectissima est, pura in omni actione Intentio. Hanc porro viam ingredimur, si nostris ipsi promissis itemus, si quae in gravibus periculis, in vehementibus morbis, in confessionibus sacris promissimus, in opus educamus, & è verbis faciamus facta.

O varium & mutabile semper, humanum propositum! Siracides clamat: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Post baptismum mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. Clamat Isaias: Lavamini, mundi estote. Lavamur, sed ad sordes brevè revertimur. Post lavacrum mundus esse negligit, quisquis innocentiam vitae, post poenitentiam non custodit. Clamat iterum Siracides: Non alliges duplicia peccata, nec enim in uno eris immunis: non iteres verbum in oratione tua. Verbum in oratione iterare, est, post solum committere, quod rursus necesse sit flere. Quod Gregorius confirmat his omnino verbis: Quisquis peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Ideo, inquit, admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo se nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Hinc scriptum est: Canis reversus ad solum vomitum. Et quoties Christus Dominus, nus unumquemque nostrum inclamat. Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Haec

Audimus, & dissimulanter contemnimus. Ideo planissime Bernardus: Irrisus est, inquit, & non verus poenitens, qui Bern. lib. de adhuc agit quod poenitet. Si ergo vis verus esse poenitens, cessa Animà c. 4. à peccato, & noli amplius peccare. Sic plange commissum, ut non mihi pag. demo committas plangenda. Quoniam inanis est Poenitentia, 1054. quam sequens conquinat culpa.

S. VI.

Haec scimus, & verò etiam, quidquid à nobis exigitur, facturos promittimus, & nihil fit. Ali, quoties, & quanta sanctissime spondemus, & nihil fit, ejuramus prius mores amoreque obsecro, & nihil fit, vitam pollicemur emendatissimam, & nihil fit. Parturimus grandia, tandem mulculus, hoc est, imbelles & frigidum opus protegit.

Valerius narrat, in exercitu Xerxis, quem adversus provinciam contraxerat, eque partu leporem effusum. Eo nostri genere tanti apparatus significatus est eventus. Nam qui mare clausibus, terram pedestribus copiis operuit, ut fugax animal, pavido regressu regnum suum repetit.

Tales omnino sunt nostri conatus: omnem uno die sanctimoniam combibimus, consilium suscipimus arduum, propositum haurimus sanctum, optimos mores promittimus: sed consilium non explicamus, propositum non premimus, cepta non tenemus, à destinato aberramus, à promisso resiliimus, sumus quales antea, & saepe peiores; sic equus parit leporem, sic montes parturiunt mulculum. Standum & perseverandum est, propositis inhaerendum, bene cepta sunt urgenda. Breves dies sunt hominis, & tenuissimum vitae filum subito praescinditur. Aranearum architecturae sibi spolia concamerantium vita nostra similis est, quarum circinatum orbem decussata paribus intervallis quater-na subtegmina dividunt, quae ipsa segmenta singula, vicinis intertexta filis, aequalibus ubique maculis scutulorum rete absolunt, ut cum telam omnem pertexuerint, octoginta omnino internodiis plagulisque, quod Pinega noster observatum cuosios ait, totus ille praedatoribus orbis in muscarum perniciem rotundatus implicetur. Haec, inquam, vita nostra Icon est, quam tamen Parcarum tenui filo deduci aegre quidam audiunt, & poetis irascuntur, qui annos nostros ad colum examinant; cum illis vel invitis David occinat: Anni nostri sicut aranea meditantur, quasi nimia in fuso & lanificio sit firmitas, ut ad araneorum texturam tota avi nostri periodus revocari debeat. Breves dies hominis sunt, & semitam, per quam non revertimur, ambulamus.

Interim aeternitati propinquamus omnes; nemo nostrum procul abest ab hac metà ferius aut citius contingenda. Quis scit, quot ab ea passibus distemus? hodiernà forsitan, aut luce crastinà tota nos circumdabit Aeternitas. Quid ergo cunctamur, quid in re momenti tanti ludimus? Salvet unusquisque animam suam. Is sapit solus, qui unius voluptatulam momenti, non praefert beatorum Aeternitatis.

CAPUT XVI.

Humanae gentis cecitas incredibilis, & horribilis stupor, tam in peccatis, quam in suppliciis peccati aeternis expendendis.

S. I.

Quidquid dicamus, quidquid clamemus, quidquid scribamus, sive prophetarum vaticinia, seu Christi minas & oracula, sive Apostolorum scripta ingeramus, magnam partem frustra sumus. Surdis nana. Clamatur, nec auditur clamor, promissa & minae ingeruntur quidem, sed spernuntur. Et quamvis horribilissima